

1914  
36 CAP. III. DE ACQUISIT. QUÆSTUS MERETRICII,  
5 que nullo modo locari vel debent, vel possunt. Et licet istud bo-  
næ etiam notæ Scriptoribus mercedis nomine salutetur; id tamen  
*παχυλῶς*, & de muliere vulgari modo loquendi vulgari usurpa-  
tur. Multo vero minus quæstus iste ut pretium concipi potest;  
6 quia actus iste scelestus locationi propius, quam venditioni acce-  
dit, cujus forma & character est pretium. Superest igitur, ut di-  
camus, quæstum istum proficisci in meretricem ex causa donatio-  
nis. Hæc enim uti ex liberalitate & singulari benevolentia do-  
nantis erga donatarium descendit; ea autem æque in personam  
turpem ac honestam dirigitur: ita donatio quoque in meretricem  
ab amasio fieri potest, non quidem absolute & simpliciter; sed ad  
quam iste excitatur ob fornicationem, eamque vel præteritam, &  
tunc donationis instar erit remuneratoriæ, vel futuram, & incidet  
in donationem vel sub modo, vel conditionalem.

7 Quod vero per donationem meretrici datur, nunquam revo-  
cari, vel repeti, sed id illa potius secure retinere potest *d. L. 4. §.*  
*3. ff. de condiçt. ob turp.* quod solius dantis versetur turpitude, ut  
subjicit *Ulpianus d. L.* Meretrix enim turpiter quæstum non ac-  
cipit secundum ea, quæ *C. II. n. 41. seqq.* exposita fuerunt. Re-  
ceptis enim lupanaribus, in quibus meretrices publice prostabant,  
nihil à professione vitæ suæ alienum facere videbantur, quæstum  
quantû possent, maximum ex usu corporis sui redigentes; perinde  
ut nec alii, qui circa sordidas operas occupantur, inhonesti quic-  
quam mercedem accipiendo admittere creduntur. Idque Roma-  
nis olim turpe non habebatur. Uti enim probrum naturale ali-  
ud, aliud civile est *L. probrum 42. ff. de V. S.* sic etiam honestum  
civile, de quo loquitur *Ulpianus*, cum naturali non est confunden-  
dum. Eaue sententia de retentione accepti quæstus meretricii  
8 etiam hodie moribus nostris, quantumvis ex diversa ratione, pro-  
cedit. Nobis enim meretrices licet, quæ castitas temporum no-  
strorum est, & turpiter vivere, & quæstum turpiter accipere dicantur;  
tamen, quicquid acceperint, sibi illud retinent, nec restituere  
repetenti tenentur; quod in pari causa melior sit conditio pos-  
sidentis *L. 3. §. 4. pr. §. 1. L. 8. ff. L. 2. §. 5. C. de cond.*

ob